

dimis, quod extrahere possit ex locis nostris maritimis, ab insula nostra Veglæ exclusive, ultra carros mille lignorum ab igne annuatim pro usu dictæ urbis nostræ Arimini, per annos quinque proximis tantum, cum hoc, quod teneantur habere semper litteras fidei rectoris nostri Arimini de quantitate quam extrahere intendent, cum particulari expressione nominis patroni burchi, seu navigii, ne fraus committatur.

Ad nonum, respondetur quod fiat ut petitur.

Ad decimum, respondetur quod volumus, quod illi qui temporibus præteritis solvebantur per dominos de Malatestis, etiam in futurum per Dominium nostrum solvantur. Illi vero qui solvebantur a comunitate Arimini, in posterum etiam ab ipsa comunitate solvantur. Quantum vero ad reparationem et fabricam ipsius civitatis, observetur etiam prout hactenus fuit observatum.

Ad undecimum, respondetur quod servetur consuetudo, quæ servabatur sub dominis de Malatestis.

Ad duodecimum, respondetur quod servetur consuetudo, et solvatur id quod solitum erat solvi sub dominis de Malatestis.

Ad tertium decimum, respondetur quod, quantum ad statuta, consuetudines, jurisdictiones, immunitates, privilegia et jura ipsius civitatis nostræ Arimini, ac bona introitus et proventus debite spectantes ipsi civitati, fiat ut petitur, cum hoc quod statuta et ordinamenta quæ de cætero fient per comunitatem ipsam Arimini, non teneant nec servari debeant nisi ea prius cum Senatu nostro per nos approbata et confirmata fuerint. Sumus etiam contenti quod eligant Consilium suum duodecim cum auctoritate eligendi et reformandi Consilium suum generale, quod tamen non excedat numerum centum, nec possit vocari ipsum Consilium et coadunari sine interventu rectoris nostri.

Ad quintum decimum, respondetur quod dabitur operam pro posse apud summum pontificem, quod in beneficiis a ducatis centum infra intentus suum obtineant. Circa autem decimas cleri, erunt ad conditiones altarum terrarum locorum nostrorum.

Ad sextum decimum, quod circa sal servetur in omnibus consuetudo quæ servabatur tempore domini Pandulphi de Malatestis.

Ad decimum septimum, respondetur quod fiat ut petitur.

Ad decimum octavum, respondetur quod, exceptis datiis nostris quæ ab omnibus pro beneficio status nostri incantari et conduci possunt, volumus, ut

servetur in omnibus aliis terris nostris. In reliquis, ut petitur.

309\*

Ad decimum nonum, respondetur quod sumus contenti quod pro debitis et obligationibus civilibus fiat per annos quinque, ut petitur. De delictis autem volumus quod, exceptis condemnatis ad pœnam vitæ pro furto, assassinamento et alis atrocioribus casibus, nemo pro aliquo delicto commisso antequam civitas Arimini in potestatem nostram pervenerit, possit molestari, cum hoc, quod condemnati pro homicidio puro, ante omnia teneantur et debeant habere cartam pacis a proximioribus defuncti; et insuper, circa confiscationes factas usque ad tempus primæ expulsionis domini Pandulphi de Malatestis a duce Valentinensi, sint et inviolatæ remaneant; de aliis autem, si quæ sunt quæ non essent legitime factæ, aut per duce Valentinensem aut eundem dominum Pandulphum post ipsius redditum, intendimus nobis esse reservatum arbitrium super ipsis cognoscendi et unicuique jus et justitiam ministrandi.

Ad octavum, respondetur quod sumus contenti quod officia infrascripta dentur et distribuantur civibus Arimini et aliis dictorum locorum idoneis, et ipsorum electio spectet comunitati nostræ Arimini, videlicet: vicariatus Corigliani, Ceresoli, Mulaciani, Gemani, Sancti Johannis in Marignano, S. Clementis et Montis Scutuli. Item, officium officialis viarum et pontium, notarius officii custodiæ, cancellarius comunitatis, notarii qui eligi solent per brevem imbusulatos juxta statuta illius comunitatis nostræ, magister horologii et pulsator campanarum; hoc declarato, quod vicarii suprascripti possint cognoscere usque ad summas et in causis prout petitur in capitulo, et salaria ipsorum vicariorum et officialium solvantur omnino juxta consuetum.

Ad quartum decimum, respondetur quod volumus quod justitiæ administratio in illa civitate nostra reguletur in hunc modum, videlicet, quod causæ quæcumque criminales et mixtæ, pleno jure spectent potestati nostro cum sua curia, et sententiæ omnes seu condemnationes, quæ per dictum potestatem nostrum cum sua curia fient in arengo, sint inappellabiles, ut servâtur in aliis terris nostris; causæ autem civiles, a ducatis triginta infra inclusive, cognoscantur et judicentur in prima instantia per judicem potestatis nostri, appellatio autem devolvatur ad potestatem præfatam, qui audire habeat cum vicario suo, et sententiæ quæ sic laudatæ fuerint ab ipso potestate nostro, firmæ sint et inappellabiles. In causis vero a ducatis triginta supra, sit in facultate cuiuslibet ipsarum partium petere et eligere, quæ

310